

XV.

[1223] ¹.

Simone, arcivescovo di Ravenna, giudicando in appello, conferma la sentenza dei consoli di Pola nella causa fra Giovanni di Podenzano e l'abate di S. Maria del Canneto.

Pergamena F. 1952, cm. 6 × 51 — Originale: roscchiata in qualche punto nel margine destro e in qualche altro sbiadita. A tergo è scritto dalla stessa mano: „ Sententia pole inter Abbatem (sancte) Marie de Canedo et Iohannem de pod(enza)ni “.

Symeon non suis meritis Rauenne ecclesie Archiepiscopus prudentibus (uiris) Iohanni rose potestati a). Ma. Wa. et Ia. consulibus pole et eiusdem ciuitatis consilio et uniuerso populo. salutem in domino. iehsu xristo. Recepimus litteras uestras quas attulit nobis Iohannes podençani. ex parte uestra. in quibus (hec con)finebantur. Cum causa uerteretur coram nobis inter (Venerabilem Abba)tem sancte Marie de Caneto, agentem ex una parte (et Io)hannem podençani se deffendentem ex alia parte. que lis talis erat. Dicebat enim iamdictus Venerabilis Abbas quod Iohannes podençani tenebat tales terras in Valdeaquara. que sui monasterii erant et ad monasterium de iure pertinebant. et ei tale pacto dederat. scilicet ad suam uoluntatem ad laborandum. et quandocumque ipse Abbas uel eius. successores uellent eas terras recipere a iamdicto Iohanne. quod habeant plenam potestatem accipiendi et faciendi inde totam suam uoluntatem. Iohannes podençani ex altera parte taliter respondebat. quia non negabat terras litis esse iamdicti monasterii et non dicebat. nec aliter proponebat nisi quod non habebat iam dictas terras ad eorum uoluntatem. dum hec et alia proponerentur coram nobis in(ter eos). Nos habito consilio talem dedimus sententiam. (scilicet) quod si Venerabilis Abbas potest probare per bonos (testes) quod ipse tali pacto dedisset iam dictas

terras li(tis) Iohanni podençani. scilicet quod haberet plenam (potestatem) accipiendi ei quandocumque u(ellet) et ad suam uoluntatem ei concessit. q(uod probet) hoc et faciat quod ratio exigit. que sen(tentia lau)data fuit per partes et in termino (statu)to. Venerabilis Abbas paratus fuit probare (ea) secundum quod ei iudicatum fuerat et laudatum scilicet per sacerdotes. et clericos. et fratres illius monasterii. Iohannes uero ex altera parte taliter opponebat scilicet quod non debebat recipere eos quia fratres ecclesie erant. et erant participes illorum bonorum. Vnde nos habito diligenti consilio talem dedimus super hoc sententiam. scilicet quia ex quo sacerdotes et clerici. atque fratres illius ecclesie non habent potestatem alienandi nec dimittendi alicui iamdictas possessiones. seu bona monasterii quod bene debent recipi in testimonium. a qua sententia Iohannes sentiens se aggrauari. ad uestram sedem appellauit. Quapropter uestram deprecamur sanctitatem et dominationem. quatinus super hoc benigne provide dignemini. ita quod iustum fuerit uestra sententia possit et ualeat diffiniri. Vnde nos uisis et lectis sententiis uestris et processu totius cause diligenter inspecto. habito etiam super hoc uirorum prudentum consilio. cum iura Canonica et ciuilia expressissime dicant quod monaci. Canonici. conuersi. et omnes Clerici ecclesiarum possint reddere testimonium in causa ecclesie sue. nisi esset syndicus uel procurator uel aduocatus in ipsa causa pro ecclesia. quia causa ecclesie non est alicuius clerici illius ecclesie. set est ecclesie tantum. sicut etiam libertus Ciuitatis non dicitur esse libertus alicuius de Ciuitate. set totius populi. sicut in iure Ciuili continetur. confirmamus sententiam uestram qua iudicastis quod sacerdotes. clerici. et fratres illius Monasterii bene debeant recipi in testimonium in supradicta causa monasterii memorati. Iudicantes bene esse iudicatum a uobis. et male appellatum a Iohanne de podençano. Et ut hec sententia maiori auctoritate nitatur. sigillo nostro iussimus insigniri. et nostri tabelionis manu roborari. Et ad hanc sententiam scribendam testes interfuerunt donnus Dominicus Mona-

cus sancti Vitalis. presbiter Benuenutus Capellanus sancti nicolay. de Arçenta. Ançilerius Vicecomes Argente. Vinci-guerra notarius.

Et ego Marchoaldus de Castronouo sancte Rauenne ecclesie Tabelio. his omnibus presens interfui. et mandato dicti domini Archiepiscopi scripsi et compleui.

a) *interlineato.*

¹ Il Ginanni assegna a questa pergamena la data del 1220, ma essendo la risposta al doc. XIV, è ad esso posteriore, e poichè tutto ci fa supporre che quel documento appartenga al 1223, anche questo deve essere di quell'anno.